



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Synopses Omnes, Quæ in singulis Articulis tractatus hujusce de Legibus  
habentur hic colliguntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

# SYNOPSIS OMNES,

Quæ in singulis Articulis tractatus hujusce de  
Legibus habentur, hic colliguntur.

## QUÆSTIO I. 3

De Natura, & Conditionibus Legis  
in communi.

### ARTIC. I. ibid.

Quid, & Quotuplex sit Lex?

I. Explicatur Legis definitio. II. Ea consistit tum in actibus intellectus, tum etiam voluntatis. III. Ut Lex obliget, necesse est, ut publicetur, & quod a Superiore feratur. IV. Lex omnis respicere debet bonum Communitatis; Quod pariter de Privilegio dicendum, si habeat rationem legis privata. V. In quo differat Lex a Consilio, Petitione, ac Præcepto? VI. Num obliget Lex, de qua dubitatur, an sit utilis Communitati? VII. Ad legem ferendam non satis est potestas dominativa, sed requiritur potestas politica, & Jurisdictionis. VIII. Habens notitiam legis lata illa non obligatur, antequam Communitati publicetur. IX. Dividitur Lex in Divinam, Naturalem, & Humanam. X. Necnon in Jus naturale, Jus Gentium, & Jus civile. XI. Sicut etiam in Affirmativam, & Negativam; Odiosam, & Favorabilem. XII. Quid, si dubitetur, an Lex sit odiosa, & eatenus restringenda?

### ARTIC. II. 7

De Conditionibus legis; Ac primo,  
quod lex debeat esse justa.

I. Ad legis validitatem septem conditiones requiruntur. II. Debet quidem

esse justa. Quinque autem modis potest esse injusta. III. Non tenemur legem injustam servare, præciso tamen scandalo. IV. Quid, si dubitetur de legis injustitia?

### ARTIC. III. 8

Quomodo lex respicere debeat bonum commune?

I. Num cessante fine legis in casu particulari desinat lex obligare? II. Num valeat lex, qua uni Communitati est utilis, alteri vero noxia, si ab eodem Principe feratur? III. Num lex ab initio inutilis, si successu temporis fiat Republica utilis, incipiat tunc obligare? IV. Quid etiam de Voto, quod ab initio sit de re indifferenti, & successu temporis sit de meliori bono?

### ARTICUL. IV. 9

De Promulgatione Legis.

I. Non obligat lex, antequam publice promulgetur. II. Num debeat scripi Lex promulgari? Et in quo differat a Consuetudine? Quid de Privilegio absque scriptura concessio? III. Lex Episcopalis, aut Principis inferioris ubinam debeat publicari? Ubinam lex Imperatoria, aut Regia? Et ubinam lex Pontificia? IV. Qui per revelationem dumtaxat sciret legis promulgationem, num ea lege teneretur? V. Lex rescissoria contractus sufficienter promulgata irritat talem contractum postea celebratum, etiam si



iam si invincibiliter ignoretur. VI. Secus vero lex revocatoria Privilegiorum. VII. Quanam verba legis denotant, Legislatorem velle sub gravi obligare? Quanam vero velle tantum hortari, aut sub levi damtaxat obligare?

## ARTIC. V. 13

De lapsu temporis ad legis obligationem requisiti.

I. Leges non obligare, nisi post duos menses a promulgatione in singulis Provinciis, non pauci docuerunt. II. At leges Pontificias post promulgationem factam in Curia Romana statim obligare, docent communis. III. Requiritur tamen aliquod tempus prudentium iudicio statuendum, ut nova legis notitia ad Communitatem perveniat, & tunc omnes obliget. IV. Ecclesia leges civiles admittit, ubi nec rationi, nec Legibus Canonice adversantur. V. Non solum pro foro externo, sed nec pro interno leges obligant ante lapsum sive duorum mensium a promulgatione, sive alterius temporis congrui. VI. Idque verum est etiam de legibus aliquem contractum irritantibus. VII. Necnon de legibus revocatorii Privilegiorum. Quod extenditur ad revocationes Procuratorum, quorum gesta (demptio Matrimonio) valida sunt, donec revocatio iis innotuerit. VIII. Si de novo aliquis casus reservetur, absolutio collata ex ignorantia talis reservationis est invalida. IX. Sicut privilegii revocatio debet innotescere persona privilegiata, ut habeat effectum suum; ita pariter concessio privilegii. X. Privilegium Communitati concessum, si huic innotescat, validum est etiam relate ad personam particularem ignorantem illud.

Pars I.

## ARTIC. VI. 17

De Acceptatione Legis.

I. Leges universim ferri solent sub tacita conditione, quod acceptentur. II. Peccat tamen Communitas, si citra iustam causam legem non acceptat. III. Lex acceptata cessat obligare, si a majori parte Communitatis non observetur. Sed quodnam tempus requiritur ad legem per desuetudinem abrogandam? IV. Num possit Legislator obligare subditos renuentes legem acceptare? Et quando id possit, aut velit? V. Quid veniat hac in re nomine Communitatis, a cuius majori parte debeat lex acceptari, ut obliget? VI. Lex a principia non acceptata, si successu temporis acceptetur, tunc obligat.

## ARTIC. VII. 21

De Perpetuitate Legis.

I. Leges prout a praeceptis distincta debent semper perdurare, donec revocentur. II. Praeceptum respicit bonum persona privata, & expirat morte praecipientis; Lex vero respicit bonum commune, & est perpetua. III. Mandatum continens commissionem jurisdictionis non expirat morte Mandantis, si res non sit integra. IV. Mandatum testatoris, utpote domini proprietatis, non jurisdictionis, confirmatur potius, quam expiret post ejus mortem. V. Quamvis praeceptum generale possit communitatem respicere, & esse perpetuum, non secus ac Lex, adhuc tamen multifariam differt a Lege. VI. Potest Legislator supremus legem ferre, qua praecipatur, ut praecpta inferiorum non expirent morte praecipientis.

B b QUÆ.



## QUÆSTIO II. 24

Quenam sit legis materia, & Quenam possit leges ferre?

## ARTICULUS I. ibi.

De Materia Legis. Præsertim de Actibus indifferentibus, ac de mere internis.

I. *Universam materia legis sunt actiones humane ordinabiles ad bonum commune.* II. *Lex humana præcipere potest actus virtutum, sed non omnes, nimirum valde arduos; ac prohibere potest actus vitiorum, non tamen omnes, cum id non postulet commune bonum.* III. *Cur lex naturalis omnia vitia prohibere possit, & de facto prohibeat, non vero lex humana?* IV. *Quandam possint actiones moraliter indifferentes præcipi, aut prohiberi?* V. *Lex civilis respicere debet rectam gubernationem, & bonum pacis in populo: Lex vero canonica respicit honestatem operationum ut conducentem ad finem supernaturalem, & ad bonum animarum.* VI. *Quaedam vitia, ut Usura, Perjuria, Blasphemia, cur prohibeantur lege civili simul, & canonica, necnon lege naturali?* VII. *Num leges civiles, & canonica imperare aliquando possint actus mere internos?* VIII. *Solum actus interni, qui sunt necessarii ad externos, possunt a lege humana indirecte præcipi, aut prohiberi.* IX. *Ecclesia præcipiendo auditionem missæ indirecte præcipit intentionem audiendi illam; Non tamen punit censuris defectum talis actus interni.* X. *Fit satis argumentis pro sententia opposita.* XI. *Cur possit Ecclesia dispensare in votis mere internis, & a peccatis internis absolvere; non possit tamen censuris peccata interna punire?* XII. *Potest confessarius actus mere internos penitenti injungere; Non potest ta-*

*men illos injungere subditis Prælati Regularis.* XIII. *Quod est per accidens occultum, puniri potest ab Ecclesia, non vero quod est occultum per se.*

## ARTIC. II. 31

Quenam possit condere leges civiles?

I. *Reges ab ipsa Communitate potestatem habent ferendi leges civiles.* II. *In quibus differat potestas dominativa a potestate jurisdictionis, & Politica requisita ad leges ferendas.* III. *Probabilis nequit Pontifex leges civiles ferre obligantes totum Orbem.* IV. *Potestatem in temporalia omnia solum habet Pontifex indirectam, disponendo de illis, quando id expedit ad animarum salutem.* V. *Nec Imperator potest totum Orbem obligare legibus suis.* VI. *Reges ferre possunt leges juxta concessionem ipsis factam a Communitate; Et Proreges juxta concessionem factam a Regibus.* VII. *Ad Regnam spectat leges ferre, si jure successionis Regnum possideat, quamvis alteri matrimonio jungatur.*

## ARTICUL. III. 36

Quenam possit condere Leges Ecclesiasticas?

I. *Pontificem posse suis legibus Ecclesiasticis totum Orbem obligare independenter a Conciliis Oecumenicis constat ex iisdem Conciliis, & ex ipsis Conventibus Gallia Generalibus usque ad præsens sæculum.* II. *Cardinalium, & Theologorum consensus est conveniens, sed non necessarius, ut possit Pontifex aliquid statuere tanquam Christi Vicarius.* III. *Episcopi verius immediate a Pontifice, mediate a Christo Domino potestatem habent ferendi leges pro suis Diocæsis.* IV. *Nequit Episcopus pro sua Urbe quicquid potest Papa pro toto Or-*



Orbe. v. Non requiritur consensus Cleri, ut Episcopus legem ferat. Solum pro festis statendis requiritur Cleri, & Populi consensus. vi. Quid possint Archiepiscopi relate ad totam Provinciam? Quid Concilia Nationalia, Provincialia, & Diocesana? vii. Non habent vim legis decreta Conciliorum, qua in Gratiano reperiantur, nisi a Pontifice sint approbata. viii. Num habeant vim legis decreta Congregationum Cardinalium. ix. Capitulum Sede vacante probabilis potest leges condere, ut poterat Episcopus. x. Quousque se extendat potestas Legislativa in Prelatis Regularibus, & in Abbatisa?

QUÆSTIO III. 42

De Subjecto Legum, seu de iis, qui Legibus obligantur.

ARTICULUS I.

An Legislatores suis legibus teneantur?

i. Legislatores suis legibus obligantur quoad vim directivam, non quoad coactivam. ii. Obligantur autem Legislatores directe non a lege sua, sed a lege naturali dictante, quod Caput cum suis membris conformetur. iii. Potest autem secummet ex causa dispensare, non secus ac cum subditis. iv. Quoniam pacto Legislatores teneantur legibus contractuum, & iis, qua taxam mercibus imponunt? v. Num peccet mortaliter Legislatores transgrediendo suas leges in re gravi, an solum venialiter? vi. Cur venialiter dumtaxat peccent Moniales omittendo unam missam preceptam in virtute Sanctæ obedientiæ ab Abbatisa? vii. Cur sacrilege peccaret Pontifex, si secummet dispensaret ad ducendam uxorem? viii. Legislatores transgrediendo leges suas, quamvis peccet, non incurrit tamen penas latas adversus transgressores. ix. Nec Princeps supremus,

nec Legatus Pontificis tenentur legibus municipalibus loci, qua non sint ab iis confirmata.

ARTIC. II. 46

Quibus legibus eximantur Infideles, Pueri legem ignorantes, Ebrii, & Amentes?

i. Num infideles peccent non solum contra præceptum Divinum de suscipiendo Baptismo, sed etiam contra præceptum de sumenda Eucharistia? ii. Num peccet, qui diebus prohibitis ministrat carnes infidelibus, qui legibus Ecclesiasticis non tenentur; aut qui injungit illis opera servilia die festo? iii. Nullis legibus tenentur Pueri, & Amentes, qui nunquam ratione usi sunt; At qui post usum rationis inciderunt in amentiam, verius per accidens ab observantia legum excusantur, non secus ac Ebrii; unde non possumus cum istis ad materialem legum transgressionem concurrere. iv. Num Amentibus injungi possint opera servilia die festo? Et num possint die festo duci bellua onusta? v. Pueri post usum rationis tenentur legibus etiam Ecclesiasticis; Sed ad communionem Paschalem circa decimum annum obligantur, quando solent sacrum a profano discernere. vi. Ante pubertatem num incurrant Pueri censuras, & alias penas Ecclesiasticas? Num casuum reservationem? vii. Num Infantes, & Puella admitti possint in Monasteria Monialium, & Religiosorum? Quid de Amentibus?

ARTIC. III. 52

Quibus legibus teneantur Peregrini, Forenses, & Vagi?

i. In quo differant Peregrini a forensibus, & a Vagis? Et quomodo domicilium, aut quasi domicilium acquiratur,

Bb 2 aut



aut deperdat? II. Sufficit quasi domicilium ad Sacramenta alicubi suscipienda, prater Ordinem, ad quem suscipiendum requiritur domicilium. III. Forensis Neapolim adveniens animo ibi permanendi per decennium tenetur legibus loci, tanquam civis, & incola. Immo etiam si adveniat animo permanendi per majorem partem anni. IV. Tenentur etiam forenses, & Peregrini legibus juris communis, quamvis in propria Patria per consuetudinem non obligent. V. Pariiter tenentur Peregrini legibus Municipalibus loci, per quem transeunt, si eadem sint in propria Patria; Necnon legibus contractuum; Ac etiam legibus, quarum transgressio specialiter cedit in ejus loci detrimentum. VI. Probabilius videtur, quod universim Peregrini non teneantur legibus loci, per quem transeunt, si brevi ibi commorentur, & scandalum absit. VII. Et probabilius nec tenentur legibus Patria, si non sint utrobique communes. VIII. Num possit quis eo sine iter arripere, ut effugiat obligationem alicujus jejunii? Fugere a loco, ubi lex jejunii obligat, non est idem, ac apponere impedimentum jejunio precepto. IX. Habens casus reservados num possit adire Diocesim, ubi casus non est reservatus, ut ibi absolva- tur? X. Si in aliqua Civitate sit dies festus, poterit ne idem civis mane exire, & sic ab auditione Sacri deobligari? XI. An discessurus a Patria, ubi obligat lex jejunii, possit mane tentaculum sumere, ac pluries comedere? Et an etiam qui perventurus est vespere ad locum, ubi jejunatur? XII. Num, & quando Sacerdos Græcus transiens per Ecclesiam Latinam possit in azymo consecrare; & similiter Latinus in fermentato? XIII. Num possit Peregrinus a suo Superiore puniri propter delictum patratum extra Territorium Superioris? XIV. Non est eadem ratio de subdito delin- quente extra Territorium sui Superioris, ac de delincente in locis exemptis. XV.

Vagi tenentur legibus loci, ubi degunt.

ARTIC. IV.

64

An Clerici, & Religiosi teneantur ser-  
vare leges civiles?

I. Non ligantur Ecclesiastici legibus ci-  
vilibus immunitatem ledentibus. II. Ob-  
ligantur autem directe aliis legibus, qua-  
tenus a Sacris Canonibus approbantur.  
III. Non tamen obligantur quoad vim  
coactivam. IV. Consuetudo in contra-  
rium, qua habetur in nonnullis casibus,  
videtur per Bullam Cæne quotannis re-  
vocari. V. Possunt quidem Laici hic,  
& nunc arma ab Ecclesiasticis tollere,  
ne damnum sequatur; sed ea tradenda  
statim sunt eorum Pralato. VI. Religiosi  
legibus Synodalibus, quibus Clerici a-  
stringuntur, non tenentur.

QUÆSTIO IV.

67

De Effectibus legis, præsertim Pæ-  
nalis, Irritantis, & Dubiæ.

ARTICULUS I.

De obligatione Legis universim.

I. Possunt leges etiam civiles obligare  
in conscientia; quamvis non omnes de  
facto obligent, præsertim sub mortali.  
II. Lex autem fundata in præsumptio-  
ne non obligat, si præsumptio sit falsa.  
III. Quod si fundetur in præsumptione  
periculi, fraudum, &c., etiam in foro  
interno probabiliter obligat, quamvis de-  
sint hic, & nunc fraudes, &c., nisi lo-  
cum habeat Epicheja. IV. Lex nequit  
obligare sub gravi in materia, & se-  
cundum se, & relate ad finem, levi.  
V. Potest tamen in materia gravi obli-  
gare sub levi tam lex, quam votum.  
VI. At juramentum in materia gravi  
semper obligat sub gravi. VII. Quod  
lex in materia gravi obliget sub gravi,  
colligi potest tum ex verbis graviter  
preceptivis; tum ex usu, & consuetu-  
di-



dine; tum ex materia de se gravi; tum etiam si gravis poena addatur transgressoribus; nec lex sit civilis, & poenalis.

## ARTICULUS II. 71

### Ad quid obligat Lex Poenalis?

I. Probabiliter lex civilis imponens poenam transgressoribus non obligat sub gravi, nisi id Superior explicet. II. Lex poenalis mixta probabiliter obligat in conscientia. III. Lex Ecclesiastica imponens poenam gravem in conscientia obligat. At quanam dicatur poena gravis? Num excommunicatio sententia ferenda? Num poena Suspensionis? Quid de poena privationis Officii, vocisque activa, & passiva? IV. Quanam poena ipso facto incurritur ante sententiam Judicis? V. Poena, quae requirunt actionem hominis, non incurritur ipso facto ante sententiam declaratoriam criminis. VI. Probabiliter poena privationis vocis activa, & passiva non incurritur ante sententiam declaratoriam criminis. VII. Judex subditus tenetur poenam lege taxatam imponere, nisi rationabilis causa exigat, ut minuat. VIII. Quandonam lex humana obliget etiam cum vita discrimine?

## ARTIC. III. 76

### De Effectibus legis irritantis.

I. Lex aliquando vult contractum esse irritum, aliquando vero irritandum. II. Si lex irritet contractum in poenam delicti, dicitur lex Poenalis; secus vero si illum irritet ob bonum commune. III. Quanam verba legis denotant contractum esse irritum; quanam vero esse irritandum? IV. Ex actu irritato lege humana nulla oritur obligatio in conscientia: Idque etiam verum est, etiamsi lex irritans fundetur in praesumptione fraudis,

quae absit reapse. V. Si lex tamen praesumat fraudem in singulis casibus, cessante fraude, certe non obligat; secus vero si praesumatur fraus ut plurimum. VI. Regulariter, si irritatio actus sit poenalis, requirit sententiam Judicis, ut illum irritet; non tamen si lex irritans non sit poenalis. VII. Lex prohibens actum non eatenus universim illum irritat. VIII. Actus ex defectu formae substantialis est irritus. Sed quanam dicuntur pertinere ad formam substantialem actus; quanam ad accidentalem? IX. Ex regulis praescriptis plura ad praesens inferuntur. X. Actus praecipuus, vel prohibitus in casu arduo pati potest Epichejam; Actus vero, qui ob defectum solemnitatis a jure praescripta est irritus, ut Matrimonium clandestinum, in nullo casu est validus. XI. Cur possit Episcopus ex urgentissima causa dispensare in impedimento dirimente, verbi gratia, consanguinitatis; non tamen in impedimento Clandestinitatis? XII. Lex irritans sicut non patitur epichejam, ita obligat etiam ignorantes illam. XIII. Sicut ignorantia legis non impedit actus irritationem, ita nec metus. XIV. Non cessat obligare lex irritans, si finis legis cesset negative; secus vero si cesset contrarie.

## ARTIC. IV. 83

### De Obligatione Legis Dubiae.

I. Alibi discernimus, num lex dubia obliget, sive dubium sit ex parte legis, seu praecipii; sive ex parte rei praecipii; sive ex parte Superioris? II. In dubio, an deitur lex, seu an hunc casum comprehendat, seu an sit promulgata, probabiliter illa non obligat; Secus vero si dubitetur, an sit acceptata, an abrogata, an ab ea sufficienter excuseris? III. Epichejalocum habet, etiam quando solum probabiliter judicamus nolle Superiorem in tali casu obligare; etiam-

si



si finis legis solum cesset negative. IV. In dubio, an res precepta sit licita, obtemperandum est Superiori illam precipienti; Nisi tamen ea res sit valde ardua. V. Etiam Religiosi, quamvis sint subditi voluntarii, tenentur obedire Superiori precipienti, etiam in dubio, an res precepta excedat illius potestatem. VI. Quid si tam Superior, quam Subditus dubitent de honestate rei precepta? VII. Etiam si dubitet subditus positive, & probabile sit, quod res precepta sit illicita, adhuc obtemperare tenetur Superiori precipienti. VIII. In dubio de legitima Superioris potestate, si hac sit in possessione, obtemperandum est precipienti, nisi res precepta sit valde ardua; secus vero, si ea non sit in possessione. IX. Quid si dubietur, num lex sit directiva, an preceptiva? Num obliget sub gravi, an sub levi? Num habeat rationem consilii, an legis? X. Quid dicendum in variis dubiis sive ad Votum, sive ad Juramentum spectantibus?

### QUÆSTIO V. 88

Quomodo legi parendum?

#### ARTICULUS I.

De Intentione requisita ad satisfaciendum legi.

I. Ad satisfaciendum legi positiva requiritur intentio ponendi opus preceptum. II. Non tamen ad satisfaciendum precepto negativo. III. Qui invitus audit Missam, vel jejunat, non satisfacit precepto; At qui invitus restituit, non tenetur ad aliam restitutionem. IV. Quid si quis per metum audiat Missam preceptam? V. Num satisfaciat jejunio precepto, qui tota ea die dormit nihil cogitans de jejunio? VI. Quamvis ad satisfaciendum precepto requiratur intentio ponendi o-

pus preceptum, non requiritur tamen intentio satisfaciendi precepto. VII. Debet Titio centum, si immemor debiti donet illi centum, num teneatur alia centum dare, ut debito obliquo satisfaciat? VIII. Num legi satisfaciat, qui ponit opus injunctum nolens per illud satisfacere, dummodo talem voluntatem deinde deponat? IX. Num poenitentia, qua virtute clavium debet impleri, possit pariter poni cum consimili voluntate? X. Qui ex pluribus titulis debet aliquid ponere, quin possit eodem opere omnibus obligationibus facere satis, cuinam ex illis censetur satisfacisse ponendo tale opus?

#### ARTIC. II.

99

Quibus actibus legi satisfiat?

I. Quandonam possit uno, eodemque opere pluribus obligationibus satisfieri? II. An, & quomodo possit nova superveniens obligatio cadere super eundem actum alias ex alia virtute prius debitum? III. Qui tenetur dare elemosinam, num satisfaciat dando illam extreme indigenti? IV. Quandonam omisso operis ex multiplici precepto impositi sit multiplex peccatum in confessione explicandum? V. Num possit pluribus preceptis satisfieri diversis actionibus positis eodem tempore? VI. An possit per actum malum precepto satisfieri? VII. Datur duplex intentio Legislatoris, alia legi intrinseca, seu de re precepta, alia legi extrinseca, seu de fine obtinendo per rem preceptam. Qui solus adversus intentionem legi extrinsecam operatur, legem non transgreditur.

A R-



An qui non potest implere totum præceptum, teneatur ad partem, quam potest.

I. Difficultas procedit in casu, quo opus præceptum est divisibile; ut sunt *Horæ Canonicae, jejunium Quadragesimale, &c.* II. Neque est verum, quod nullatenus teneatur ad partem, qui non potest totum præceptum implere; Neque est verum, quod teneatur ad quamcumque partem, quam potest; Neque quod solum teneatur ad partem, quando ea est major pars operis præcepti. III. In infirmitate vitanda est perplexitas: Extra infirmitatem, si res præcepta soleat dividi, qui non potest totum, tenetur ad quamcumque partem, qua sit moraliter integra; Si vero non soleat dividi, tunc excusatur, quando pars, qua non potest impleri, non est modica. IV. Qui nequit integram missam audire, sed potest audire quoad ejus substantialia, ad id tenetur; Idemque dicas de jejunio. V. Probabilius dicendum, quod impotens implere totum præceptum teneatur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & censeatur intenta a Superiore. VI. Qui nequit *Horas sine socio recitare*, num teneatur illum asciscere? Et num *Privilegiarius tempore Interdictionis teneatur audire Sacrum die festo?*

De Impedimentis non apponendis legi adimplendæ.

I. Præcepta naturalia obligant ad ponenda media ad eorum executionem, & ad removenda impedimenta. II. Non tamen omnia præcepta positiva ad id obligant. III. Num possit quis in *pila ludu, vel in venatione die jejunii defatigari, providens, quod non possit jeju-*

*nare.* IV. Num id ipsum fieri possit in fraudem jejunii ad declinandam ejus obligationem; eo modo, quo potest quis egredi e loco, ubi obligat præceptum jejunii, ne teneatur jejunare? V. Qui solum providet, quod in *lusu pila defatigatus non possit deinde jejunare, ludendo dicitur apponere jejunio impedimentum remotum, & non peccat: Qui vero id intendit, ludendo dicitur apponere impedimentum proximum, & peccat contra legem jejunii.* VI. Unde dignosci possit, num impedimentum, quod apponitur observantia legis, sit proximum, & eatenus peccaminosum, non vero remotum? VII. *Varia regula, qua a Doctoribus adducuntur, multis exemplis subjiciuntur, ut in bono lumine reponantur.* VIII. Cur excommunicatus teneatur absolutionem procurare, ut possit in *Paschate communicare, non vero ut possit die festo audire Sacrum?* IX. Num liceat die *Sabbati ire venatum, si provideatur, quod die Dominico non possit Sacrum audiri?* X. Num peccent *barbitonsores, si tondeant die festo?* Quid de *puellis, qua die festo sunt ad vitandum otium?*

### QUESTIO VI.

De Legis Interpretatione, Extensione, Abrogatione, & Cessatione.

#### ARTICULUS I. 107

De Legis interpretatione, & extensione.

I. *Verborum proprietas, alia est Naturalis, alia Civilis. Quando verba legis extendi debent, sumuntur etiam secundum proprietatem civilem.* II. *Doctores interpretari possunt leges ampliando illas interpretatione solum doctrinali, non auctoritativa. Quid de declarationibus Cardinalium?* III. *Præter interpretationem legis Authenticam, &*

Do-



Doctrinalem datur etiam Usualis. IV. Undenam mens Legislatoris conjici potest, ut detur legi apta interpretatio? V. Varia regula assignantur a Doctoribus ad rite leges interpretandas. VI. Quandonam particula disjunctiva Sive sumenda sit pro copulativa? VII. Quomodo sit interpretanda lex, qua uni est favorabilis, alteri vero odiosa? VIII. Quid si verba legis habeant plures sensus, nec constet de mente Legislatoris? IX. Quid si dubitetur an verba legis sumenda sint secundum propriam verborum significationem, an secundum communem, & usitatam?

## ARTIC. II. 112

Quandonam lex restringi, aut extendi debeat?

I. Lex odiosa aliquando restringi potest vi Epikeje in casu, qui non videtur verbis legis comprehensus. II. Num possit lex extendi ad casum verbis legis non comprehensum, vel ob paritatem, vel ob identitatem rationis? III. In legibus pœnalibus non datur extensio de casu ad casum relate ad pœnam; imo nec relate ad obligationem. IV. Nec datur hujusmodi extensio in legibus correctoriis; Aut in dispensationibus, aut privilegiis alicui factis, qua exorbitant a jure communi. Immo probabiliter nec in legibus favorabilibus. V. Extendenda tamen qualibet lex, quando, nisi extendatur, Legislator argueretur iniustitiae, vel imprudentiae. VI. Similiter in equiparatis, & in connexis. VII. Lex prohibens monialibus, ne egrediantur, nisi ob incendium, lepram, &c., num se extendat ad casus similes? VIII. Num Bulla contra Confessarios, qui sollicitant mulieres ad turpia, se extendat etiam ad masculos?

## ARTIC. III. 116

De Legis Abrogatione.

I. In quo differat legis Abrogatio a Derogatione? Et quanam possit data causa legem abrogare? II. Num possit lex ab inferiore condita ab eodem abrogari, si ea confirmata fuerit a Superiore? III. Num possit Inferior in suo territorio legem Superioris abrogare, eo modo quo potest in ea dispensare? IV. Ut lex abrogetur, non requiritur talis abrogationis publicatio. V. Quandonam lex posterior censeatur priorem legem abrogare? VI. Quandonam fieri debeat prioris legis mentio, ut per posteriorem abrogetur? VII. Lex posterior specialis, si sit contraria legi priori generali, solum illi derogat, non abrogat illam.

## ARTIC. IV. 120

Quas ob causas cesset legis obligatio?

I. Novem de causis cessare potest legis obligatio. II. Vis, & Metus, qua solent a nonnullarum legum observantia excusare, in quo differant? III. Metus excusat etiam a nonnullis legibus Naturalibus, & Divinis. IV. Non excusatur, qui metu mortis simulat Sacramenti administrationem. Quid si simul let contractum matrimoniale? V. Num liceat Sacerdoti metu mortis sine Sacris vestibus celebrare? Ad dandum Viaticum moribundo sine iis vestibus celebrare non licet. VI. Ad mortis periculum effugiendum licitum est carnibus humani cadaveris vesci. VII. Quanam impotentia a legis observantia excuset? VIII. Num peccet, qui conjicit se in aliquod impedimentum, unde legem servare non possit? IX. Plurima alibi diximus de ignorantia excusante a legis transgressione, qua hic solum innuntur.

A R.



Utrum cessante fine legis negative cesset lex obligare?

I. Si solum cesset finis legis inadequatus, lex non cessat obligare. II. Si finis legis adequatus cesset pro tota communitate, lex cessat simpliciter obligare; non secus ac votum cessat cessante eius fine adequato. III. Num cessante fine legis adequato relate ad personam particularem cesset lex; Eo modo, quo cessante fine legis adequato relate ad totam communitatem pro aliquo tempore, cessat pro eo tempore lex obligare? IV. Cessante fine legis contrarie, procul dubio cessat lex. V. Quid si finis legis cesset solum negative? Num ea cesset, sicut cessat lex correctionis fraternae? VI. Probabilius ea non cessat; eo quod non cesset periculum damnorum, quae lex vitare intendit. VII. Rationibus in contrarium fit satis, praesertim paritati de fraterna correctione. VIII. Hisce responsionibus occurrunt Adversarii. IX. Conantur pariter satisfacere rationibus pro communiore, ac veriori sententia adductis.

De Cessatione finis legis contrarie; ubi de Epikeja.

I. Quid sit Epikeja, & quomodo ea uiendum, quando finis legis cessat contrarie? II. Epikeja habet etiam locum, quando actus praeceptus est arduus, quamvis non cesset contrarie finis legis. III. Finis legis cessat negative, quando in casu particulari cessat ratio Legis, quae tamen sine incommodo seruari potest; at cessat contrarie, si sine gravi incommodo seruari non posset. IV. Ad usum Epikejae satis est probabilitas excusationis, esto non deur evidentiā; Dubium ta-  
Pars I.

men de excusatione non est satis ad talem usum. V. Locum habet Epikeja non solum quando probabile est, quod non poterit in tali casu Legislator obligare, sed etiam quando probabile est, quod noluerit. VI. Quid si lex sit ardua, ac dubitetur, num voluerit pro tali casu obligare Superior, qui consuli non possit? Num ea dicenda sit lex dubia, quae non obliget?

De Consuetudine.

## ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Consuetudo?

I. Consuetudo sumpta pro facto est Frequens usus; Sumpta vero pro iure est Lex non scripta. II. Explicatur consuetudinis definitio, & plura inde deducuntur. III. In quonam ea differat ab usu frequenti, a stylo fori, & a Praescriptione? IV. Consuetudo alia est Canonica, alia civilis. Dividitur etiam in Communem, Nationalem, & Municipalem. V. Necnon in eam, quae est iuxta legem, Praeter legem, & Contra legem. VI. Num possit Consuetudo dari contra jus Gentium?

De Conditionibus Consuetudinis.

I. Non pauca enumerantur conditiones ad Consuetudinem obligatoriam inducendam requisita. II. Consuetudo dicitur rationalis, si sit de re honesta, & utili Reipublicae, etiamsi consuetudo sit contra legem. III. In dubio, an sit rationalis, in favorem consuetudinis introducta iudicandum est, nisi ipsa consuetudo a lege reprobetur. IV. Ut Consuetudo vim habeat legis, requiritur temporis diuturnitas, & probabiliter de-



centium non interruptum; ac forte quadricentium, si sit contra legem Canoniceam. v. Quanam actuum frequentia requiratur ad inducendam consuetudinem? vi. Actus huiusmodi debent esse voluntarii, & ex animo inducendi consuetudinem elicitum, ac majori parti Communitatis manifesti. vii. Etiam actibus malis consuetudo habens vim legis introduci potest. viii. Unde dignoscatur, quod consuetudo non sit introducta ex devotione, aut liberalitate, sed ex animo inducendi obligationem? ix. Quid de consuetudine abstinendi a lacticiniis in pervigiis extra Quadragesimam? x. Qualis consensus Principis requiratur, ut consuetudo habeat vim legis?

## ARTIC. III. 139

Quinam possint Consuetudinem introducere?

i. Privata persona consuetudinem obligatoriam inducere non potest, quamvis sit Rex. ii. Cur Episcopus per contrariam consuetudinem non procedit ad subditorum correctionem cum consilio Capituli, prout lege olim tenebatur? iii. Neque Communitas imperfecta, ut familia, consuetudinem inducere potest. iv. Consuetudo laicorum non obligat Clericos, nec vice versa. At ad abrogandam legem, qua laicis, & Clericis sit communis, sufficit major pars Communitatis, etiamsi sit solum laicorum. v. Femina non possunt sua consuetudine abrogare legem solos Masculos obligantem. Possunt tamen Moniales sua consuetudine proprias leges abrogare. vi. Mercatores possunt sua consuetudine abrogare leges proprias, ac veluti municipales.

## ARTIC. IV. 141

De Effectibus Consuetudinis.

i. Consuetudo inducit obligationem, abrogat legem, illam interpretatur, actum irritare potest, non secus ac lex, ac reddere aliquem inhabilem ad Beneficia. ii. Potest aliqua consuetudo obligare solum ad penam, & non ad culpam. iii. Potest etiam abrogare poenam, relicta obligatione ad culpam. iv. Et e converso potest abrogare legem obligantem ad culpam, relicta obligatione ad poenam. v. Num possit abrogare legem veterantem consuetudinem contrariam? vi. Lex de non trahendis Clericis ad potestatem laicam cur non possit consuetudine contraria abrogari? vii. Si reprobetur consuetudo contraria ob periculum damni, hoc cessante potest lex per consuetudinem in oppositum abrogari? Secus vero si reprobetur ob intrinsecam eius malitiam. viii. Num clausula illa, Non obstante consuetudine in contrarium, abroget non solum consuetudinem praeteritam, sed etiam futuram? Et num etiam immemorabilem? ix. Potest consuetudo, non secus ac lex, abrogare legem irritantem; potest etiam reddere irritos actus caetero qui validos. x. Quonam pacto consuetudo legem interpretetur? Et quomodo ea sit regula contractuum?

## ARTICULUS V. 145

De Abrogatione Consuetudinis.

i. Consuetudo abrogatur aut per legem expressam, aut per contrariam consuetudinem. ii. Neque lex, neque consuetudo contraria priorem consuetudinem abrogat, nisi ex diametro illi opponatur. iii. Ut consuetudo contrariam consuetudinem abroget, debet esse legitime prescripta: De consuetudine autem consuetudo non



non abrogatur. *iv.* Non usus legis tunc legem abrogat, quando aliquid contra legem continet: Sicut Privilegium amittitur, si quis libere per decennium illo non utatur. *v.* Num per non usum amittatur Privilegium, quando facultas sit data simpliciter; adeo ut si ea deatur, ut privilegiarius ea utatur ad arbitrium, nunquam amittatur per non usum? *vi.* Verius privilegium universim amittitur per non usum, quando per decennium Privilegiarius, oblata opportunitate, & potens eo uti, non vult uti, ac veluti illi renunciat. Oppositum tamen non caret sua probabilitate.

## QUÆSTIO VIII.

### De Dispensatione Legis.

#### ARTICULUS I. 147

Quid sit Dispensatio, & an cadere possit in legem Naturalem, & Divinam?

*i.* Dispensatio est juris relaxatio; atque adeo differt a legis Interpretatione, Abrogatione, Derogatione, Irritatione; necnon ab Absolutione, a Licentia, & a Privilegio. *ii.* Dispensatio legis in quo differat a dispensatione in voto, & a relaxatione juramenti? *iii.* Nequit Deus in lege naturali dispensare in iis circumstantiis, in quibus Lex natura obligat. Potest aliquando mutare materiam legis naturalis, mutando circumstantias, sub quibus ea obligat, & sic solum indirecte dispensat. *iv.* Pontifex indirecte dispensat in lege naturali, puta in voto, in juramento, & in iis omnibus, in quibus expediens fuit recta gubernationi hanc potestatem a Deo illi committi. *v.* In quibusnam casibus potest Pontifex in jure Divino positivo dispensare? *vi.* Num possit Pontifex dispensare, ut in una tantum specie Sacrificium offeratur?

## ARTIC. II. 153

Quinam possit in lege humana dispensare?

*i.* Potest Pontifex in legibus Apostolicis, & Concilii Oecumenici dispensare. *ii.* Nequit Archiepiscopus dispensare in legibus Concilii Provincialis; Sed potest Episcopus dispensare in legibus Synodi Diocesana, etiamsi a Pontifice confirmatae sint confirmatione simplici, non tamen si essentiali. *iii.* Nequit inferior in lege Superioris dispensare, nisi id illi saltem tacite permittatur. *iv.* Absolutio a censuris conceditur inferiori, nisi reservetur; Secus vero dispensatio. Pariter dispensat Episcopus in votis, si non reserventur; At non in legibus Pontificiis. *v.* Quandonam censeatur concessa Episcopo facultas dispensandi in lege Pontificia? *vi.* Si dubitetur, an possit hic, & nunc Episcopus dispensare in lege Pontificis, probabiliter dispensare potest, etiamsi dubium sit negativum?

## ARTIC. III. 156

Circa quos possit Dispensatio exerceri?

*i.* Dispensatio, utpote actus jurisdictionis, cum subditis est exercenda. *ii.* Prelatus dispensans universim cum subditis in aliqua lege, dispensat etiam secummet; etsi improprie secummet in sua lege dispenset. *iii.* Directe Prelatus in lege Superioris secummet dispensat, quin ad exercendum hunc actum jurisdictionis voluntarie requiratur distinctio personarum. Potest etiam secummet in votis dispensare, sicut cum subditis. *iv.* Num possit Pontifex directe sibi indulgentias largiri? *v.* Nequit Prelatus inferior directe tollere a se irregularitatem, aut alias penas Ecclesiasticas

C c 2 per



per sententiam impositas; licet id possit cum subditis. VI. Quid possit Superior loci cum forensibus, vagis, & peregrinis relate ad dispensationes? VII. Quid pariter possit Metropolitanus cum Episcopis suffraganeis, & cum eorum subditis. VIII. Num possit Episcopus cum Regularibus exemptis dispensare eo pacto, quo potest cum subditis suis.

## ARTICULUS IV. 162

De Causa ad dispensandum  
requisita.

I. Ad valide dispensandum in lege propria non requiritur causa; Requiritur tamen probabilis causa, ut valeat dispensatio data ab eo, cui Legislator tribuit facultatem dispensandi. II. Ut licite tamen dispensatio concedatur, quanam causa requiritur? III. Num, & quando mortaliter peccet Legislator dispensando in propria lege sine causa proportionata? IV. Qualiter peccet subditus petendo a Superiore dispensationem, qua sine justa causa detur? V. Num peccet, qui utitur dispensatione valide quidem, sed illicite sibi data? VI. In dubio de sufficientia cause ad dispensandum potest subditus iudicio Superioris se remittere, & licite uti dispensatione. VII. Pro foro tamen externo constare debet de sufficientia cause. VIII. In iure communi vetatur Episcopis, ne sine justa causa in suis legibus dispensent; sed non eatenus talis dispensatio est invalida. IX. Invalide dispensat Pontifex sine justa causa in iure Divino, ac naturali. X. Num sit invalida dispensatio in lege Superioris, si dispensanti non innotescat justa causa, qua tamen revera adest? XI. Quid si viceversa causa justa absit, & Superior dispensans bona fide supponat illam adesse? XII. Quanam censenda sit legitima causa ad dispensandum? XIII. Num teneatur Superior data justa cau-

sa dispensationem concedere? XIV. An possit dispensans in lege Superioris unus aliquod imponere dispensato? XV. Qui potest in voto dispensare, potest etiam illud commutare; At qui potest in lege Superioris dispensare, non eatenus potest illam commutare. XVI. Episcopus dispensans in irregularitate quomodo possit aliquando multam imponere? XVII. Num requiratur gravior causa ad dispensandum in voto, quam in lege Superioris?

## ARTIC. V. 170

Quibus de causis obtenta dispensatio  
sit invalida?

I. Dispensatio est nulla, donec dispensatio innotescat, & acceptetur. II. Multis de causis potest in dispensante deficere voluntas dispensandi. III. Ratihibitio de presenti signis externis manifestata sufficit ad dispensationis concessionem. IV. Ratihibitio de futuro, qua sufficit ad licentiam concedendam, non sufficit ad concedendam dispensationem. V. Quibus signis censetur Superior tacite dispensare? VI. Pralati taciturnitas sepe est signum permissionis, non dispensationis. VII. Num dispensationes metu extorta sint valide? VIII. Dispensatio extorta per dolum circa causam finalem est invalida: Secus vero si dolum sit circa causam impulsivam; In dubio presumendum, quod causa fuerit impulsiva. IX. Rescriptum gratia surreptivum est irritum; Rescriptum vero iustitia est irritandum. X. Dispensatio est irrita, etiamsi bona fide dispensans erret circa causam finalem. XI. Quid debeat in petitione exprimi, ne dispensatio sit surreptitia? XII. Quanam iure, aut consuetudine universim exprimenda sunt? XIII. Quando dispensatio est irrita, si altera tantum ex causis expressis sit falsa? XIV. Num dispensatio sit partialiter valida, quando partialiter est surreptitia?

A R.



## ARTICULUS VI. 178

Quomodo cesset, & vim suam amittat dispensatio?

I. Num cessante causa dispensationis iam obienta cesset dispensatio? II. Quando nam dispensatus non potest dispensatione etiam extra territorium Pralati dispensantis? III. Quanam dispensatio, aut gratia expiret morte concedentis? IV. Quousque duret gratia concessa ad beneplacitum? V. Dispensatio cessat per revocationem, antequam eius effectus adimpleatur. Dispensatio tamen in lege Superioris data ex justa causa invalide revocatur dispensatio in voto. VI. Cessat dispensatio per hoc, quod illi renunciatur, dummodo dispensans in lege renunciationem accepit. VII. Dispensatio tamen in voto, & juramento amittit vim suam per renunciationem, etiam praecisa acceptatione dispensantis. VIII. Qui dispensationi, aut commutationi voti renunciavit, num possit, mutata voluntate, dispensatione, aut commutatione obienta uti? IX. Nec dispensatio, nec privilegium, quod non cedit in gravamen aliorum, amittitur per non usum; Secus vero si privilegium cedat in aliorum gravamen. X. Dispensatio sine limitatione concessa universim per primum actum non finitur. XI. Tunc dispensatio post primum actum cessat, quando causa dispensationis non remanet etiam ad secundam vicem.

## ARTICULUS VII. 185

Quomodo dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit?

I. Dispensatio, quamvis sit Principis beneficium, stricte est interpretanda,

utpote contra jus commune. II. In pluribus tamen casibus dispensatio latam habet interpretationem; praesertim si motu proprio Principis concessa sit, aut sit inserta in corpore juris; Aut si alicui Communitati concedatur. III. Similiter qua sunt ob publicam necessitatem, aut utilitatem. IV. Dispensatio ad Ordines num se extendat ad Ordines Sacros? Et dispensatio ad beneficium num se extendat ad Curatum, & ad Dignitates? V. Dispensatio ad matrimonium in gradibus consanguinitatis interpretanda juxta jus commune, unde facta in tertio gradu extenditur ad secundum cum tertio. VI. Dispensatio non est ita restringenda, ut reddatur illusoria, nec se extendat ad necessario connexa. VII. Num Subdiaconus dispensatus ad uxorem ducendam, dispensetur etiam relate ad Horarum recitationem? VIII. An dispensatio extendatur de casu ad casum, in quo sit vel eadem, vel major ratio? IX. Dispensandi potestas late est interpretanda, nisi vergat in praesudicium Tertii: Idemque dicendum de Privilegio. X. In dubio, an potestas dispensandi, aut privilegium sint revocata, licitum est iis uti; si tamen deinde deprehendatur fuisse revocata, irrita censenda est dispensatio. XI. Cur Episcopus valide commutet votum in dubio an sit reservatum, etiam si deinde deprehendatur esse revocatum, contra vero habens facultatem delegatam commutandi vota, aut dispensandi, in dubio an ea potestas fuerit revocata, licite quidem ea utatur, sed irrita sit dispensatio, si deprehendatur fuisse revocatam? XII. Num valida censenda sit dispensatio in dubio de ejus valore? XIII. Quid si post dispensationem obientam dubitetur, an Pralatus potuerit dispensare?

F I N I S.

IN-